



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia XXIII. Ex lacrymis Magdalenae vita Lazari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Ut clàm flos hiemans, auro quæ pingit & ostro
 Ad solis radios, serica pensa trahit;
 Erumpitque foras matris viridante sepulcro,
 Gramineasque struit verna corolla comas;
 Promittitve graues ramis genialibus vvas,
 Quæ viret apta rudi lanca gemma botro:
 Sic nouus emerget vitæ natalis ab vrnâ,
 Succidaque è sicco puluere fila leget;
 Deque cauo saxo viridi florebit in æuo
 Frater, vt inde soror gaudia sera bibat:
 Decerpitque nouos vitali è funere fructus;
 Puluis enim vitæ semina lata vouet:
 Et geminam seret vnus de funere vitam,
 Sospes vbi viuet sospite fratre soror.

ELEGIA XXIII.

Ex lacrymis MAGDALENÆ vitæ
 LAZARI.

INSOLABILIBVS suspiria merfa querelis
 Mille per ærumnas vndat in ora dolor:
 Et gemitum, gemitum geminas lacrymosa, que-
 relasque:
 At quis amans dextrâ ludit in aure sonus?
 Spes erat. an fallor? non fallor. idonea votis
 Spes erat: arguto murmure læta canit.
 Lenè supercilium salit, ac fibra vibrat, & omen
 Nescio quod vitæ candida spondet auis.
 Iam tibi lanificæ noua fratris in orsa Sorores,
 Candidiore trahent vellera pura manu.
 Frigida mors calidos iam iam mirabitur artus,
 Et regno fugiet mox tremefacta suo:

Ad.

Aduoluentque diem venturis solibus horæ,
 Exsomnes horæ, quo fluet orta salus.
 Nunc age sis, trepidos cinis imbibat arida fletus;
 Et liquor hic certæ vena salutis erit.
 Fac calidos spargas sitientibus ossibus imbres;
 Tum veges irriguis affluet ignis aquis.
 Nam dolor ille piæ Numen placabit ad vndas,
 Et memor hospitij tessera nardus erit.
 Flere lubet? fas est, pietas iubet: elice fletum.
 Elicis? vda fluit fratris in ossa dolor.
 Crede mihi, his plus est quàm quod videatur in
 vndis:
 Manat aroma tuis nubila Nympha genis.
 Diues Amoris aroma tuo medicina dolori;
 Vnde fluat, viuo ceu sata fonte, salus.
 Nempe piis lacrymis fratri cum mœsta parentas,
 Præmia te vitæ dat meruisse Deus.
 Quidquid enim scelerata necis specus halat, &
 Orcus;
 Fletifer exstinguet, qui rigat ossa, latex.
 Balsama, balsameoq; super crocõ implue nimbo,
 Adijce cinnamæus quidquid inhalat onyx:
 Tabentes (haud vana fides) leto eximet artus,
 Quisquis in ossa fluit mistus odore liquor.
 Myrthea gutta grauem mortis si vincit odorem;
 Lacryma te mortem vincere dura neget?
 Est etiam sua myrrha genis, liquidoque dolori,
 Et noua myrthatis vita natat lacrymis.
 Altor enim vitæ mœstis Amor ardet in vndis,
 Cui pia pro myrrhâ sospite lymphæ fluit.
 Inde sitibundas veges imbuet aura fauillas:
 Vitales lacrymæ fratris in ossa fluent.

Si vitam dederit ros vda è fronte sorori;
 Hanc dare iam fratri lymphæ negabit opem?
 Par genus ambo, tenor vitæ par ambo, gemellum
 Ambo decus, par flos frater & ipsa soror:
 Et degit sine fratre soror? prô! diuidit vnam
 Mors animam. an viuet dimidium illa sui?
 Magdala fraterno iam tota vt viuat Amori,
 Dimidium reddet fospite fratre Deus.
 Alter in alterius speculo par viuet imago,
 Quam sibi depinget alter & alter Amor.

ELEGIA XXIV.

Exsurgit LAZARVS tumulo.

DESINE fraternas lacrymis vrgere fauillas,
 Et sua non iusto soluere iusta rogo.
 Vtius ne tende: suos mors improba ludos
 Egit, & in pullâ scena peracta togâ est.
 Vt quid adhuc pluuio damnas tua lumina nimbo,
 Obnubisq; graui sindone triste caput?
 En Deus ex alto, tragici qui nubila luctus
 Discutiat. CHRISTO mors rea ludus erit.
 Cernis, in aspectæ nec opinus vt adstirit vrnæ,
 Et longum celeri fraude fefellit iter?
 Non audis gemitus, suspiriaq; & singultus
 Inter, & heu! rupto murmura trunca sono?
 Qui tumulum simul ac vidit, tumuloq; repostas
 Reliquias animæ Magdala mœsta tuæ;
 Fleuit, &, ô, dixit humenti lumine IESVS,
 Lazare vbi es? mœsto murmure, Lazare vbi es?
 Mortis vt attonitas ea vox irrupit in aures,
 Concussitq; solum, funereamq; domum;
 Illicet